



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Medardus Ep. 8. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

ut ille hominum osor hujus amore captus sit. Conflagrantem facibus fœdæ cupiditatis personata lena deseruit, intellexitque miserrimus amator, qualis illecebra Deum sibi mentemque eripuisset. Jus deinde sibimet dixit, immissaque intra diffissæ arboris rimas manu, revulsis cuneis, arctè iterum coëunte trunco, inusitato cippo miserabilis se captivus induit; stetitque sic affixus triennium integrum; Dominicis duntaxat diebus panem & aquam è Severini manibus libare solitus; cum demum jubente Camerinesi Episcopo, emortuam ab inaudito carcere manum, utique conciliato Numine, recepit. Audite peccatores. VICTORINVS momentum unum trienni supplicio vindicavit; nos ævo continuo peccamus, & vix momento resipiscimus. *Ex Phil. Ferrar.*

Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: nihil profunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet de malis veniam postulare, & mala de novo iterare. S. August. in soliloq.

S. MEDARDUS EP. 8. Iunii.

Nolit fortasse à Gildardo gemello suo sejungi MEDARDVS, cum quo ita communia habuit omnia, ut eodem die ambo nati, ambo denati, ambo sacris infulis induti sint: leges tamen hîc seorsim de MEDARDI pueritiâ paucula, de Gildardo paria cogitabis. In splendidas opes natus unicum earum usum noverat, liberalitatem. Prætextam suam cæco largitus, ad matrem propè nudus recurrit, gestiens quòd tantillâ veste Christum induisset. Equorum custodiam cum ultro sibi depoposcisset, unius abducendi copiam egeno viatori fecit; ejus jacturam cum pater acerbè ferret, gregem

gregem recensentibus numerus nullo capite imminutus apparuit. Ipse nihilominus pietatis suæ fructum præsentem tulit, aquilæ alis à pluviarum injuriâ defensus. De agrorum limitibus exarserat inter vicinos certamen, spectabatque res ad arma, nî puer litem finisset. Saxum enim medio reperi- tum campo pede contigit, suumque velut in molli cerâ vestigium impressit, eoque prodigio limitem, vel ostendit, vel fecit. Eleutherio contubernali suo de mitrâ olim indipiscendâ oraculum dedit, cui postea vates ipse successit. Defuncto cælum faces funebres suppeditavit. Clotharius Rex Sandapilæ succollavit. Cùm tumulo inferretur, cælum diduci pandique visum, nempe ut melior MEDARDI pars eò cum triumpho invehetur, geminæ columbæ itineris duces futuræ obviam profectæ sunt: quibus tertiâ, quæ de Sancti ore egressa est, sese junxit. Has alas animæ simplicitas & modestia affixerunt: nos in Pavoninis superbimus.

Ex Surio.

Felix promissio, ut postmodum in divino liberetur examine, qui nunc subvenit egentibus in mœrore: Gloriosè mercatur, qui pro misericordia, quam pro pauperibus exhibet, totius Christianitatis continuam orationem premeretur. S. Pet. Dam. Opusc. 9. de Eleem.

SS. PRIMUS & FELICIANUS MM.

9. Junii.

PRIMVS & FELICIANVS cum Jove & Hercule falsis Diis, Diocletiano & Maximiano crudelissimis Imperatoribus decertarunt, solâ adversus illos pietate, adversus hos patientiâ armati: cujus ut insignia documenta darent, Angelorum beneficio viam sibi ad fugam aperientiû noluerunt uti.

Bellaria